

tisset, rem esse de Ecclesiis parochialibus, in quibus, etsi solemniter cum cantu et ministris paratis peragi nequeunt, explendae nihilominus sunt sacr. functiones majoris Hebdomadae, servata forma *parvi Rituales* editi jussu S. M. *Benedicti XIII.*, sollicita, ne omitterentur, apte distinxit id, quod congruit, ab eo quod fieri necessario debet; sed simul Archiepiscopo injunxit ut, poena indicta, Parochos cogeret etiam ad id, quod congruit. En verba Decreti: *Congruit, ut Missae in Sabbato s. celebrandae ignis et cerei benedictio praecedant; ante quam Missam Prophetiae omitti non debent, et Archiepiscopus parochos ad ignis et cerei benedictionem faciendam aliqua poena pecuniaria adigere poterit. Quid autem hujusmodi Decretum commune habet cum Missa privata, apostolici indulti vigore celebrata?*

Ex iis, quae allata sunt, plane consequitur Prophetias haberi haud posse in Sabb. s. tamquam partem integram Missae proindeque a Sacerdotibus, qui privilegio gaudent faciendi privatim Sacrum, easdem non esse legendas, sed Missam inchoandam more solito. Quod insuper maxime decet; etenim posito privilegio, haud eo uti licet, nisi postquam nuntiatum fuerit per festivum campanarum sonitum, Ecclesiam, deposito luctu, per laetitiae signa festis paschalibus initium dedisse. Imo S. R. C. dum, attenta immemorabili consuetudine, indulset, ut in Ecclesia Ordinis s. Dominici Villae Matriti tres Missae lectae celebrari possent, id fieri vetuit, nisi *post absolutam Missam solemnem*, quae conditio fuit etiam alteri privilegio adjecta concessionis unius Missae privatae in sacello B. M. V. *de los remedios* ejusdem Villae Matriti. Heic autem loci quaeri posset: num huic Missae praemittendae sint litaniae?

Praesens Decretum id non jubet, imo cum velit eandem incipi *more solito sed sine introitu*, praeviam litaniarum lectionem praecipere noluisse videtur. Atque haec etiam est Cl. *Gavanti* sententia, qui in hypothesi, quod privata aliqua Missa celebrari queat, eandem a *Confessione* incipiendam scribit *Rubr. Missal. part. 4. tit. 10. n. 44. Quo casu forte sufficit incipere a Confessione, qua finita dicat Sacerdos Kyrie eleison de more, et reliqua cum Vesperis usque ad finem Missae. Nam Gemma lib. 3. cap. 118. ait, Officium hujus Missae per Kyrie eleison inchoari, nisi pro Kyrie eleison intelligat cum Micrologo litaniam. Si quis igitur litanias praemitteret, contra Decretum non faceret, sed melius fortasse, si a Confessione Missam incipiat.*

### PROSTERNATIO

Ordinandorum.

Vd.: *Ordinandi* (prost.).

### PROTECTOR CIVITATIS.

Vd.: *Patronus; Patronus loci* (oblig. ad Off., decr. n. 4605 nota).

Canonici Cathedr. Ferentinae possunt canere missam sol. s. Ambrosii m., Protectoris dictae civitatis die 1. Maii quolibet anno in honorem inventionis sui corporis, non omissa missa ss. ap. Philippi et Jacobi. n. 2695 die 16. Jun. 1674.

Ad petitionem, ut transferri possit octava Epiphaniae, quia in ea cadit festum s. Hilarii protectoris principalis civitatis Parmen., S. C. resp.: *Officium esse faciendum de octava; Missas vero posse cantari duas, unam de festo, alteram de octava.* n. 2311 die 24. Jan. 1665.

*Ad dubium 1.*: Die 13. Maii occurrit Trajecti festum s. Servatii Episc.,

qui est Protector civitatis, cum festo s. Petri Regalati; potestne dies immediate sequens pro ultimo assignari?

2. Die 10. Septbr. occurrit Thudinii festum s. Theodardi Episcopi et Martyris, qui est Protector civitatis, cum festo s. Nicolai de Tolentino, suntque ab illa die reliquae omnes impeditae usque ad 23. Septembris, quae posset assignari pro ultimo?

Et eadem S. R. C., Emo et Rmo D. Card. S. Clementis referente, ad primum et secundum respondit: „Negative.“ n. 3763 die 19. Febr. 1707.

De Protectore principali civitatis debet celebrari Officium cum octava per civitatem et dioecesim. S. R. C. 23. Maii 1639.

### PROTONOTARIUS APOSTOLICUS.

#### 1) Celebrans in Pontificalibus.

Protonotarius apostolicus, habens indultum apost. celebrandi ubique in Pontificalibus de consensu Ordinarium, potest solemniter celebrans solemnem benedictionem populo inibi praesenti dare et elargiri. n. 984 die 22. Apr. 1633.

#### Venetiarum.

Dum superiori anno 1853 12. Kal. Martii Sacerdos Joannes Bapt. Ghega Cubicularius honorarius SSmi D. N. Pii Papae IX. et Patriarchalis Curiae Venetiarum ab Actis, per apostolicas literas in forma Brevis tamquam Protonotarius ad instar participantium cooptatus fuit in amplissimum Protonotariorum Apostolicorum Collegium, praeclara inter Privilegia, quibus hoc nomine decoratur, illud honestissimum reputavit, quo sibi Pontificalia conceduntur insignia. Veritus vero ne circa haec plura sibi vel minus quam par est tribuat, S. R. C. supplex adivit inixeque rogavit, ut certam indubiam-

que praefinire dignaretur rationem, per quam errandi libertas auferatur. Et quoniam a s. m. Xisto Papa V. Protonotariis Apostolicis in Presbyteratus ordine constitutis conceditur extra Curiam in Missis solemnibus uti mitra et quibusvis aliis pontificalibus insigniis, inter usum et exercitium ipse discrimen intercedere existimavit ac proinde duo sequentia dubia elucidanda proposuit, nimirum:

1. An, praevio semper Ordinarii assensu, Protonotariis Apostolicis nuncupatis ad instar participantium ac participantium privilegiis fruentibus, Pontificalium exercitium vel tantummodo usus sit concessus?

2. Et quatenus affirmative tantum quoad usum, quaenam Caeremoniae ex his, quae praescriptae sunt in libro Caeremoniali Episcoporum (qui respicit etiam Praelatos Episcopo inferiores), adhibendae sint in Missa solemniter celebrata ab ipsis Protonotariis extra Curiam cum insigniis pontificalibus, et quaenam sint omittendae?

Quas quidem preces cum superioribus dubiis quum Secretarius subscriptus retulerit in Ordinario Coetu S. R. C. ad Vaticanum habitū eodem superiori anno 15. Kal. Octobris, Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: „Ponatur in folio, exquisito voto Magistri Caeremoniarum.“

In novis itaque Ordinariis Comitibus S. R. ad Vaticanum pariter hodierna die coadunatis, quum Emus et Rmus D. Card. Joseph Bofondi Relator designatus proposuerit votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto panditum praeloque cussum, S. eadem C., attentis expositis singulisque rationibus concludenter adnotatis, recribendum censuit: „Juxta votum Magistri Caeremoniarum, scilicet“

Camerae aliosque inferiores Praelatos ac Generales Religionum; Card. *de Luca* l. c. n. 2.; Card. *Petra* l. c. n. 13. et alii communiter; et colligitur ex Constit. Pii II. incip.: *Cum servare etc.*, ubi statuitur, quod ubique habeant locum post Episcopos.

Item praecedunt Sacristam Papae, si non sit Episcopus. S. R. Congreg. 11. Febr. 1598 et 13. Jan. 1601; Card. *Petra* l. c. n. 14. et alii communiter innixi dictae Const. Pii II.: *Cum servare.*

Insuper praecedunt Praeceptorem Hospitalis S. Spiritus Urbis, Archimandritam Messanensem et Abbates usum mitrae habentes ac Correctorem Cancellariae. S. R. Congr. 13. Julii 1601 apud *Barb.* n. 8., Card. *Petra* l. c. n. 15. et alii passim per cit. Constit. Pii II.: *Cum servare.*

Item praecedunt omnes Canonicos Patriarchalium Urbis tam in ipsis Patriarchalibus, quam in quibuscumque Cathedralibus extra Urbem. S. R. C. cum oraculo Pauli V. sub die 4. Maii 1613 testibus *Barbosa* n. 10., Card. *Petra* l. c. n. 21. et nov. in Summa Bullar. tit.: *de Protonotariis* n. 8.

Protonotarius ratione hujus dignitatis non praecedit in Choro et functionibus aliis Presbyteris antianis, quamvis in Ecclesia non adsint distributiones. S. R. Congr. in Nullius Phasani Praecedentiae 24. Januarii 1688 apud *Monacell.* n. 101.

Secus tamen, si incederet in habitu Protonotarii. In alia Ventimilien. 13. Sept. 1670.

Privilegia Protonotariorum, quatenus sint in usu et ipsi Protonotarii in habitu Praelati incedant, esse servanda. n. 332 die 16. Dec. 1606.

Posse Canonicum Protonotarium ap. uti *subtana violacea* in choro et in Ecclesia, dum Divinis assistit, dum-

modo in caeteris omnibus habitum proprium et Canonicum convenientem et similem et aequalem caeteris Canonicis deferat. n. 446 die 14. Jan. 1612.

Protonotarius apost. Canonicus Collegiatae potest subtana violacea indutus cum cotta et pelle canonicali choro interesse. n. 718 die 11. Dec. 1627.

Protonotariis extra numerum non posse prohiberi deferre habitum praelatitium, nempe rocchetto cum mantelletto coloris violacei et in Ecclesiis et in functionibus ecclesiasticis cum eodem habitu incedere et sedere juxta Caerem. l. I. c. XIV. n. 877 die 28. Septbr. 1630; n. 910 die 22. Mart. 1631; n. 1031 die 24. Nov. 1635.

*Ad dubium:* An Protonotarii apostolici de numero non participantium Messanen. possint suis insigniis ornati tam singuli tam unitim insimul intervenire, si convitentur a rectore Ecclesiae et an sedeant cum praecedentia ad reliquos Presbyteros? S. C. resp.: *Juxta privilegia.* n. 2912 ad 8 die 24. Febr. 1680.

Protonotarii *apostolici* in eorum quasi possessione praecedendi Canonicos tam in Ecclesiis Patriarchalibus quam in aliis quibuscumque etiam Cathedralibus extra Urbem manutenendi sunt atque ita in futurum servandum esse. n. 474 die 4. Maii 1613.

Protonotarios *non participantes* neque supra neque inter Canonicos juxta dispositionem Caerem. (lib. I. c. XIII. circa finem) locum habere. n. 567 die 23. Martii 1619.

Si Canonici et Dignitates uti voluerint *habitu Protonotarii*, non posse participare de distributionibus quotidianis, tamquam extraneos reputandos esse eisque locum assignandum non supra nec inter Canonicos sed post

Abbatem (Caerem. lib. I. c. XIII. circa finem). n. 602 die 7. Aug. 1621; n. 2772 die 21. Mart. 1676.

Protonot. apost. de numero *non participantium* potest assistere ad functiones in Ecclesia Cathedr. seu Colleg. cum habitu Protonotarii, quatenus privilegia Protonotarii sint in usu; et sedere, stare et incedere debere in loco non supra parochos neque supra neque inter Canonicos, sed post Abbates. n. 2778 ad 1 die 21. Mart. 1676; n. 2822 die 3. Apr. 1677.

Protonotarios in processionibus incedere debere cum mantelletto et rocchetto. n. 645 die 13. Julii 1626.

Protonotario apostolico nullo modo licere in choro et processionibus stare et incedere cum habitu praelatitio, puta rocchetto et mantelletto, non obstante contraria consuetudine, quae potius abusus et corruptela quam consuetudo. n. 1089 die 24. Julii 1638.

Priori Cathedralis Assisien., cum sit prima (et unica) Dignitas, quatenus sit Protonotarius, licere uti habitu praelatitio Protonotarii et lucrari distributiones. n. 1618 die 6. Aug. 1650.

Paulus Franciscus prot. ap. extra num. et prima Dignitas Colleg. Mevoniae non potest lucrari distrib. in habitu Protonotarii. n. 3362 die 9. Julii et 17. Dec. 1695.

Protonotarios praecedere debere, quando Canonici Cathedralis non incedunt collegialiter. n. 753 ad 2 die 12. Julii 1628.

Presbyteri, qui *sub praetextu* tituli Protonotarii appareant in functionibus ecclesiasticis, non posse nec debere deferre rocchetto discoopertum loco superpellicei. n. 799 die 17. Mart. 1629.

Canonicum Protonotarium cum habitu *praelatitio* nec supra nec intra Canonicos assistere debere nec lucrari distributiones. n. 823 die 20. Junii 1629.

Protonotarium *Titularem Apostolicum* non participantem in habitu praelatitio in Ecclesiis et processionibus stare, sedere et incedere debere juxta Caeremoniale (lib. I. cap. XIII. n. 12.). n. 914 die 5. Julii 1631.

Protonotarii apost. *non participantes* sedeant post Abbates, *participantes* vero praecedunt Abbates. Post Protonotarios generales Ordinum, deinde alii Praelati apost.

*Caer. Ep.* l. II. c. XIII. n. 12.

Protonotariis *Titularibus* non licere ullo modo stare nec supra nec infra Canonicos *aliosque* de choro, sed stare debere in loco assignato in Caer., quem ad unguem in omnibus et per omnia servari debere. n. 918 die 5. Julii 1631; n. 1149 die 7. Maii 1639.

Si Protonotarius utitur veste violacea *extra Ecclesiam*, posse cum eadem veste interesse etiam in choro, *dummodo supra vestem, id est, subtanam defert habitum* canonicaem et sedeat in loco suae receptionis. n. 1034 die 12. Jan. 1636.

Nullo modo licere Protonotariis de numero *non participantium* uti in pileo funiculo serico coloris violacei; quo vero ad subtanam cum mantelletto inspiciendas literas patentes sui Protonotariatus. n. 1075 die 24. Julii 1638.

Protonotarius de numero *non participantium, cum non obtineat Beneficium aliquod ecclesiasticum*, ab Ordinario non cogi neque adstringi potest ad interveniendum Divinis et processionibus. n. 1149 die 7. Maii 1639.

Protonotarii, qui sunt *Abbatem Ecclesiae Colleg.*, item *Dignitates et Canonici* in choro, processionibus et functionibus canonicalibus non posse intervenire nisi cum habitu *canonicali*, alias non gaudere distributionibus. n. 1367 die 8. Febr. 1642; n. 2192 die 20. Nov. 1662; n. 2579 et 2580 die 26. Mart. 1672.

Ad 1.: „Affirmative ad utrumque juxta modum, et modus est, ut in Pontificalibus regulae omnino serventur, quibus Praelati Episcopo inferiores obstringuntur.“

Ad 2.: „Provisum in primo.“

Atque ita rescripsit. n. 5199 die 8. Apr. 1854.

Vd.: *Usus Pontif.* (decr. Alex. VII.); *Protonotar. titul.* (celebr.); *Protonot. apost.* (Privileg.).

### 2) Dignitas.

Vd.: *Protonot. titul.* (priv.).

Protonotariorum Collegium fuit semper in maxima veneratione, et in illud admitti non solent, nisi nobilissimi et undequaque ornatissimi viri; unde ex illorum numero quamplurimi ad Cardinalatum et multi etiam ad Summum Pontificatum promoti fuerunt, ut tradunt Card. *Petra* n. 22., *Barbosa* n. 7. et alii passim.

### 3) Habitus.

Vd.: *Protonotarius apost.* (praeced. etc.); *Protonotar. titul.* (habitus).

Protonotarii *participantes* induunt vestem et mantelletam violaceam cum usu rocchetti in publicis functionibus et habent in pileo privative quoad alios Praelatos floccum rosacei coloris, necnon pileum praelatitium nigrum cordulis violaceis circumdatum cum floccis dicti coloris rosacei. S. R. C. in causa Urbis Protonotariorum 17. Febr. 1617 apud *Barbosa* n. 7. et tradit expresse Cardinal *Petra* n. 23., qui immediate sub n. 24. sic subjungit: Quoad pileos usuales fuit habita Congreg. quaedam particularis die 6. Aug. 1674 in causa vittae Protonotarii et inter positiones Card. *Casanate* reperitur sequens adnotatio:

Die 6. Aug. 1674 *Vittae Protonotariorum.* „In Congregatione particulari habita in aedibus Emi *Bran-*

*cati*, in qua interfuerunt idem Eminentissimus necnon Emi DD. Cardinales *Rasponus*, de *Maximis*, *Carpineus* et *Casanate*, in praesentia a secretis Congreg. Rituum fuit propositum votum: An Collegio DD. Protonotariorum participantium concedenda sit facultas vittae argenteae in pileo, attento, quod vitta violacea ex concessione Apostolica fuit concessa Auditoribus Rotae et Clericis Camerae Apostolicae, Emus *Brancatius* dixit: posse concedi; Emus de *Maximis*: non esse concedendum, quia metalla sunt promiscua, et talis concessio forsaneset injuriosa Sacro Collegio. Emus *Carpineus* dixit: posse concedi vittam coloris rosacei, necnon tintinnabula in cingulo. Emus *Casanate* in voto Emi *Carpinei*. Omnes tandem convenere in voto Emi *Carpinei* quoad vittam tantum.“

In *Capella Pontificia Protonotarii participantes* utuntur cappis juxta morem aliorum Praelatorum, nunquam tamen cottis super rochetum, ut utuntur Auditores Rotae, Clerici Camerae et alii inferiores Praelati in processionibus et certis aliis actibus; isti enim Protonotarii semper incedunt cum cappis. Sic expresse Card. *Petra* n. 25.

### 4) Missa privata.

Vd.: *Missa priv. Dignit.*; *Usus Pontificalium* (decr. Alex. VII.); *Protonot. apost.* (Privileg.); *Protonotarius titul.* (celebr.).

Gubernatorem, quamvis Protonotarium, non ex altari sed ex sacristia vel alio loco ad id ordinato, paramenta capere et inde paratum ad celebrandum accedere ac unico ministro contentum esse debere, qui ei inserviat et respondeat in Missis. n. 1571 die 17. Nov. 1646.

Minime licere Gubernatori locumtenenti intuitu Protonotariatus in Missa uti bugia et annulo et duobus ministris

cottis indutis. n. 1729 die 19. Sept. 1654.

Protonotario apost. non competit in Missa privata usus quatuor candelarum ac sacra indumenta de altari sumere. n. 1958 die 15. Febr. 1659.

Non licere Referendariis utriusque Signaturae Papae ac Protonotariis ap. honorariis celebrantibus in civitatibus, quarum regimini praeficiuntur, uti ritibus, qui proprii EE. Cardinalium et Episcoporum videntur, sed iidem rem sacram facere tenentur more caeterorum Sacerdotum, prout in privatis missis praescriptum fuit Abbatibus in decreto de die 27. Sept. 1659. n. 2720 die 9. Febr. 1675.

### 5) Obligatio in process. interess.

Vd.: *Processio* (Oblig. interess. Cleri saec. non est, decr. n. 1149).

### 6) Officium.

Protonotariorum Officium est notare ea, quae in publicis Consistoriis geruntur, cum rogantur a Procuratore Fiscali et cum opus fuerit, in publicam redigere formam; ideo oportet, eos interesse publicis Consistoriis. De Officio eorum in Cancellaria nihil ad nos. Pontifici in publicum cum pluviali et mitra exeunti Protonotarius fimbrias inferiores simul junctas deferre debet; nam ad sinistram Pontificis praecedens caudamque cappae suae sibi deferens, ut de Episcopis assistentibus diximus, sinistram ad extremitatem fimbriarum, dextram ad superiorem partem ante Corpus Pontificis tenens proficiscitur. Cum pervenit ad locum, ubi Pontifex consistit, dimittit fimbrias ad manus Diaconorum et vadit ad locum suum. Cum Pontifex in Divinis est daturus benedictionem solemnem, Protonotarius accedit et genuflexus super scabellum Sedis Papae, dum Papa benedicit, fimbrias

inferiores a sinistro latere elevat et cum eis corpus Pontificis tegit ab umbilico et infra, finita benedictione dimittit fimbrias et revertitur ad locum suum.

*Catalanus*, Caerem. eccles. rom. l. II. c. XIX.

### 7) Praecedentia, habitus.

Vd.: *Process.* (Cler. Colleg. supra paroch.); *Protonot.* (privil.); *Archidiaconus*; *Paroch. protonot.*; *Concio Protonot.*

In Consistoriis publicis quatuor Notarios assistere decretum est proximiores Solio Pontificio honorabiliore loco. In ipsis enim publicis Consistoriis, ubi de rebus, quae geruntur, authentica conficiant instrumenta, rogari consueverunt, quatuor ex eis, qui Numerati dicuntur, aut ipsis absentibus totidem ex aliis secundum institutionem eorum seniores juxta gradum Apostolici Solii honorabiliorem occupant locum Sedi-que Pontificiae proximiores assident; sicque isti Protonotarii in equitationibus solemnibus, quae fiunt occasione possessionis Romani Pontificis apud Ecclesiam Lateranensem, in ingressu regum et magnorum principum ac hujusmodi praecedentiam habent super Episcopos et Archiepiscopos non Assistentes; tunc enim primum locum occupant Episcopi Assistentes capellae Pontificiae, deinde Protonotarii, et post eos accedunt Archiepiscopi et Episcopi non Assistentes aliique Praelati juxta eorum ordinem. Sic Card. de *Luca in relat. rom. Curiae* discursus 44, n. 3., Card. *Petra* Comment. ad Const. apost. t. 5. in Const. 4. Pii II. n. 10., *Barbosa* l. I. juris eccles. univ. c. 23. n. 3. et alii passim.

Protonotarii apost. in *Capella Pontificia aliisque actibus distinctis a mox dictis* praecedunt quoscumque alios Praelatos non Episcopos; sicque praecedunt Auditores Rotae, Clericos